



Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

Articulus II. Quando & quomodo obligent leges pænales ad subeundam
pænam?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

nino cit.] in fronte Prologi S. Reg. S. P. Benedictus, postquam dixit: *Ausculta o fili precepta Magistri*, subiunxit: *& admonitionem pii Patris libenter exipe*. Atqui neque ordinationes & statuta, neque admonitiones & consilia per se obligant sub peccato, cum non habeant vim precepti. Unde *statutum esset putare*, [inquit S. D. cit.] quod *Monachus frangens silentium post Completorium peccaret mortaliter, nisi forte faceret hoc contra preceptum Prælati, vel ex contemptu Regule*: ergo illa solum, quæ in Regula continentur per modum precepti, obligant sub peccato. Subsumtum probatur ex citato S. D. Si Regula extra materiam voti haberet rationem precepti, tunc Monachus illam transgrediens in gravi materia, peccaret mortaliter; siquidem preceptum in materia gravi obligat sub culpa mortali: sed non peccat mortaliter: nam, ut habet D. Tho. in *init. præleg. art. 20. Nihil est peccatum mortale Monacho, vel Religioso cuiuscunque per se loquendo, quod non sit peccatum mortale contrarium ei, ad quod se obligavit voto Professionis*.

Confirmatur primò. Si extra materiam votorum Regula haberet rationem precepti, tunc maxime in præscripta abstinentia à carnibus tanquam gravi materia: sed in hac non habet rationem precepti, uti rursus agnoscit expressè D. Tho. ita loquens loc. cit. *Abstinerè à carnibus non ponitur in Regula B. Benedicti ut præceptum, sed ut statutum quoddam*. Confirmatur secundò: *In obsequio minimum est sequendum*. h. e. cum est dubium de voluntate obligandi, benignior est interpretatio facienda juxta præcatam Reg. Juris in 6: sed non liquet, utrum Regula S. P. Benedicti extra materiam votorum sit potius præcepti-

va, quam purè ordinativa & statutoria: ergo potius præsumi debet, esse directivam, quam præceptivam.

Dixi tamen primò, *per se loquendo, & ex vi Regule*, quia per accidens, & ex directa vel indirecta oppositione cum aliquo voto Professionis fieri potest, ut Benedictinus in transgressione Regule peccet venialiter, vel mortaliter. Et sic primò peccabit mortaliter, si transgrediatur Regulare statutum in gravi materia à Superiore præceptum in virtute sanctæ obedientiæ: vel si transgrediatur ex contemptu formali vel virtuali Regularium statutorum, tunc enim peccat contra statutum Religiosum, & votum conversionis morum secundum Regulam, quo voto etsi Religiosus non se obligat ad faciendam omnia, quæ præscribuntur in Regula [hoc enim esset onus importabile] obligat se tamen ad habendam voluntatem suos mores ad normam Regulæ conformandi, cui voluntati directè contrariatur formalis voluntas Regulæ se non subjiciendi. Secundò peccat Religiosus Benedictinus venialiter, quotiescunque statutum Regulare sine aliqua rationabili causa & altioris virtutis dictamine transgreditur; tum quia talis transgressio est actus otiosus & hoc ipso inordinatus; tum quia remotè saltem disponit ad contemptum Regulæ, sicque remotè & indirectè adverteratur voto Conversionis morum secundum Regulam.

Dixi secundò. *Habere in plerisque rationem legis pœnalis, vel &c.* in eo quippe assimilatur legi pœnali, quod pro transgressionibus & culpis Regularibus pœnas & expiationes præscribat, quas si Superior transgressor imponat, iste urgente obedientiæ voto subire tenebitur,

ARTICULUS II.

Quando & quomodo obligent leges pœnales ad subeundam pœnam?

SUMMARI A.

1. Alia pœna late, alia ferendæ sententiæ.
2. Aliquæ pœnæ positivæ, aliquæ negativæ.
3. Quoniam leges pœnales obligent ante Judicis sententiam?
4. Pœna privantes jure jam acquiri cepto non obligant ante sententiam declaratoriam criminis.
5. Quomodo post sententiam Judicis teneatur rem subire pœnam?
6. Inferior iudex non potest remittere pœnam lege taxatam.

§. I.

Quid sentiendum de lege illativa pœnæ spiritualis, & privativa juris acquirendi?

1. Notandum primò. Pœnam lege statutam aliam dici ferendam, aliam late sententia. Pœna ferendæ sententiæ est, cum transgressor obligatur à lege ad sustinendam pœnam post judicis sententiam, quæ sententia dupliciter se habere potest; ut vel sit declaratoria tam criminis quam pœnæ, vel solum sit declaratoria criminis. Pœna late sententiæ est, quam lex infert, & ad quam obligat, non expectatâ judicis sententiâ. Pœna

R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. II.

late sententiæ colligitur ex verbis legis, si dicat pœnam ipso facto, ipso jure incurvat: Pœna ferendæ sententiæ colligitur, si verba legis loquantur in tempore futuro, modo imperativo, v. g. *suspendatur, excommunicabitur*; aut sint comminatoria, sub pœna interditi, excommunicationis, &c. tunc enim nisi jungantur illæ voces [ipso facto incurrenda] lex cenetur statuere pœnam ferendæ sententiæ.

Notandum secundò. In ipsis pœnis aliquas dici positivas, quæ ad sui executionem indigent ulteriori actione, ut solutio pecuniæ, fossio metalli, &c: aliquam privativam, quæ nimirum privat aliqua re, fructu, jure, vel quærendo, vel quæsito, sine ulteriori actione, ut Censuræ Ecclesiasticæ, privatio vocis activæ & passivæ &c: aliquæ pœnæ sunt conditionales, quia non tam sunt pœnæ, quam carentia beneficii, quod legislator non nisi sub certa conditione dare voluit. Sic Clericus beneficiatus habitum non deferens privatur privilegio fori, quia privilegium datur sub conditione habitum deferendi. His positis, cum certum sit, pœnas ferendæ sententiæ non obligare ante judicis sententiam

R r

tiam

tiam, superest quaestio de poenis latae sententiae. Unde fit

3. **CONCLUSIO PRIMA.** *Leges poenales, quae inferunt poenas spirituales excommunicationis, suspensionis, &c. ipso facto incurrendas, vel privant jure acquirendo, redduntq. transgressorem inhabilem ad aliquod jus vel actum, vel imponunt poenam conditionalem, obligant ante judicis sententiam.* Ita Salmantic. hic c. 2. punct. 3. cum communi DD. & quoad poenas spirituales constat ex c. non dubium de sent. excomm. c. 2. de Cler. non ordinato ministr. Sic etiam incurritur Canonice impedimentum matrimonii ex crimine; sic beneficiariis non recitantibus officium divinum imponitur restitutio fructuum pro rata in Conc. Lateran. I. can. 10. & non residentibus in suis Ecclesiis in Trid. sess. 23. de reform. c. 1. Sic per c. licet de elect. in 6. habens beneficium curatum illo privatur, si intra annum non ordinetur Presbyter &c.

Quoad censuras Ecclesiasticas ratio est, quod cum lex dicat, delinquentem ipso facto incurrere ejusmodi poenas, illaeque ut plurimum sint medicinales, & non excedant suavitatem & aequitatem humanam, ideo censendum est, quod legislator velit uti sua potestate ad illas infligendas, non expectatae judicis sententiae. Quoad poenas inhabilitantes & conditionales ratio est: quia cum Ecclesia & Respublica sit domina suorum bonorum, iuste potest habilitatem ad illa percipienda alligare certis conditionibus, quibus non impletis hoc ipso cessabit habitas ad illa percipienda, sicuti si testator Beræ fecisset legatum percipiendum sub conditione, si castè vivat, hoc ipso quod non verificaretur conditio, etiam ipsa privaretur legato. Ita rursus in poenam certi delicti potest eidem alligare inhabilitatem ad aliqua jura, bona, vel fructus à legis transgressoriibus incurrendam. Unde posita transgressione, delicto, crimine, eo ipso cessabit habitas.

§. II.

Quid de lege privativa juris acquisiti?

4. **CONCLUSIO SECUNDA.** *Pœna temporaria, vel quod acquiritur captum est, non obligant ante judicis sententiam saltem declaratoriam criminis, quamvis verba legis significant poenam latae sententiae.* Ita Layman l. 1. tr. 4. c. 17. cum pluribus aliis. Quorum ratio est, quod lex non debet esse nimis rigida, sed humano modo observabilis: sed est ab hominum natura & moribus alienum, ut quis seipsum spoliare debeat rebus jam possessis, aut juribus acquisitis. Et Confirmatur ex c. cum secundum leges, de hereticis in 6. ubi licet heretici priventur ipso jure bonis à se possessis à die commissi criminis, tamen non tenentur bona tra-

dere ante judicis sententiam. Quod ad illas quoque leges poenales [praeter sup. n. 3. expensas] quascunque probabiliter extendunt Salmanticenses unà cum Sanch. & Covarr. à se citatis, quia in rigoribus & obligationibus benignior est interpretatio faciendi: cum ergo lex dicens: ipso facto, nullà alià declaratione expressa, commode possit exponi de declaratione novae poenae à iudice imposta, non negatà declaratione criminis, huic interpretationi inharendum erit.

CONCLUSIO TERTIA. *Quamvis venio n. 1. neatur (1) ante judicis sententiam subire poenam graviter corporis afflictivam, ut est exilium, carcer, &c. post judicis tamen sententiam (2) reus reus per seipsum exequi poenam beneficium non vincit. cerbam: (3) ad gravissimam vero & infamam poenam tenetur saltem indirectè cooperari, quatenus ad ejus executionem est necessarium & conveniens.* Ita comm.

Ratio primi modò indicata est, quia talis executio propria sponte suscepta nimis acerba, & ad humanis moribus est aliena. Ratio secundò est, quod quisque tenetur obedire Superiori iusta & possibilia praecipienti: unde tenetur reus solvere multam pecuniariam, intrare carcerem, abire in exilium &c. Ratio tertii est, quia reus tenetur iustè judicis sententiae non resistere: sed si quando nolle indirectè cooperari ad poenam iudice inflictam, tunc ipsi resistere, e. g. si sit damnatus ad fucationem nolle manum ponere, &c. ergo tenetur indirectè cooperari.

Quaeres etiam, num possit iudex reo poenam mittere in lege taxatam? Respondeo, si est summus, potest; nam potest vel propriam legem rogare, vel in illa dispensare: quamvis id sine legitima causa faciendo peccet vel venialiter, quando nullum inde grave damnum in Republicam redundat; vel mortaliter, si redundat. Quorum in superiori iudice sufficere causam benignitatis, intercessionem alicujus Magnatis, gratificationem praeteritorum obsequiorum, docet cum aliis Suar. l. 5. c. 12. n. 9. & Palao tr. 1. dist. 2. p. 3. Si verò non est supremus iudex, non potest illam poenam remittere, vel majorem imponere. Unde etiam tenebitur ad restitutionem excessus, si punierit ultra poenam ex lege debitam. Non verò teneri ad restitutionem, si poenam pecuniariam minuat, vel omnino remittat, rectè docet Greg. Martin. q. 96. a. 4. dub. 14. quia tunc ante sententiam iudicis nullus ad talia bona acquisiverit, non est peccatum violativum iustitiae commutativae, sed legalis: quamvis ex alio capite possit oriri obligatio restitutionis reipublicam, si nimirum ex remissione poenae reipublica damnum patiat, quod iudex ex officio per poenam inflectionem avertere debuisset.

ARTICULUS III.

De obligatione legis irritantis, & in praesumptione fundatae.

SUMMARI.

1. Datur lex irritatoria.
2. Duplex modus irritandi actum.

3. Aliquando actus irritatur civiliter, aliquando etiam naturaliter.
4. Ita